

quoddam bonum, per sese maxime hominibus expetibile, et quod valde charitatem fovet et excitat. Secundo, quia post factum incarnationis mysterium, ipsi etiam Angeli discunt a sensibili humanitate Verbo unita. Ergo multo magis expediret hominibus perfici et sanctificari ab ipso Christo, sub sensibili sacramento inter eos manente. Tertio conferret hoc, ut homines perfectissimum sacrificium laudis, et gratiarum actionis Deo offerrent, Christum offerendo realiter presentem. Quarto denique, quia hoc ipsum Eucharistiæ mysterium est quoddam ex maximis operibus divinæ omnipotentiae, quodque valde declarat divinam attributa, sapientiam, charitatem, etc., propter quæ ostendenda Deus operatur. Sed de re incerta hæc sint satis. Poterat etiam hic de alia circumstantia hujus institutionis tractari, de loco, scilicet, vel cœnaculo, in quo hoc sacramentum institutum est. Sed de hac re nihil reperio, quod ad scholasticam disputationem pertineat. De his vero, quæ ad historiam pertinent, legi potest Nicephorus, lib. 4, cap. 28, et Cæsar Baronius, in Annalibus anni trigesimi quarti.

## ARTICULUS VI.

Utrum agnus paschalis fuerit præcipua figura hujus sacramenti (infra, quæst. 80, art. 10, ad 2; et 4, d. 8, quæst. 1, art. 2, et dist. 12, quæst. 3, art. 1, q. 2, ad 1).

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod agnus paschalis non fuerit præcipua figura hujus sacramenti. Christus enim dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech propter hoc, quod Melchisedech gessit figuram sacrificii Christi, offerens panem et vinum. Sed expressio similitudinis facit, quod unum ab alio denominetur. Ergo videtur, quod oblatio Melchisedech fuerit potissima figura hujus sacramenti.

2. Præterea, transitus maris Rubri fuit figura baptismi, secundum illud 1 Cor. 10: Omnes baptizati sunt in nube et in mari. Sed immolatio agni paschalis præcessit transitum maris Rubri, quem subsequutum est manna, sicut Eucharistia sequitur baptismum. Ergo manna est expressior figura hujus sacramenti, quam agnus paschalis.

3. Præterea, potissima virtus hujus sacramenti est, quod introducit nos in regnum cælorum sicut quoddam viaticum. Sed hoc maxime præfiguratum fuit in sacramento expiationis, quando Pontifex intrabat semel in anno cum

sanguine in Sancta Sanctorum, sicut Apostol. probat, Hebr. 9. Ergo videtur, quod illud sacrificium fuerit expressior figura hujus sacramenti, quam agnus paschalis.

Sed contra est, quod Apostol. dicit 1 Cor. 5: Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramento tria considerare possumus, scilicet id, quod est sacramentum tantum, quod est panis et vinum; et id, quod est res et sacramentum, scilicet corpus Christi verum; et quod est res tantum, scilicet effectus hujus sacramenti. Quantum igitur ad id, quod est sacramentum tantum, potissima figura fuit hujus sacramenti oblatio Melchisedech, qui obtulit panem et vinum. Quantum autem ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc sacramento, figuræ ejus fuerunt omnia sacrificia veteris Testamenti, præcipue sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum. Quantum autem ad effectum fuit præcipua ejus figura manna, quod habebat in se omnis saporis suavitatem (ut dicitur Sap. 16), sicut et gratia hujus sacramenti, quantum ad omnia reficit mentem. Sed agnus paschalis, quantum ad hæc tria præfigurabat hoc sacramentum. Quantum enim ad primum, quia manducabatur cum panibus azymis, secundum illud Exod. 12: Edent carnes et azymos panes. Quantum vero ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel decima quarta luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus. Quantum vero ad effectum, quia per sanguinem agni paschalis protecti sunt filii Israel a devastante Angelo, et educti de Ægyptiaca servitute. Et quantum ad hoc ponitur præcipua figura hujus sacramenti agnus paschalis, quia secundum omnia ipsum representat. Et per hoc patet responsio ad objecta.

## COMMENTARIUS.

1. Quæstio hujus articuli annexa est disputationi præcedenti. Cum enim ostensum sit, non fuisse conveniens, ut hoc sacramentum re ipsa præcesserit incarnationem, dubitari non immerito potest, an expedierit, ut præcesserit altem in figura, eo modo, quo Christus dicitur agnus occisus ab origine mundi. In qua re impius Lutherus irridet piam diligentiam, quam D. Thom. adhibuit in explicandis hujus mysterii figuris. Sed ille potius irridendus est, cum Paulum contemnat, 1 ad

Cor. 40, dicentem: Omnia in figura contingebant illis; qui etiam singulariter propter hujus mysterii representationem dixisse videtur: Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, scilicet, manna, quod figura fuit hujus sacramenti. Certum ergo est, fuisse conveniens, sacramentum hoc præfigurari, priusquam fieret. Hoc enim ad majestatem ejus commendandam pertinuit. Et præterea, quia cum esset difficillimum, paulatim tradi et prædici oportuit. Et ideo Concil. Trident., sess. 22, cap. 1, ut certum tradit, præcessisse varias figuras hujus sacramenti, quas Magister et Theologi in 4, d. 8, diligenter explicant, præsertim Bonav., art. 1, per tres quæstiones; Richard., art. 1, quæst. 3; Durand., quæst. 4; alter Durand. in Rationali divinorum offic., lib. 6, c. 69; Gabr., lect. 35 et 81 in can. Ut autem a paucis rem hanc complectamur, ad quatuor capita reducuntur figuræ; nam vel sumptæ sunt ex sensibili sacramento, vel ex eo, quod in hoc sacramento est res et sacramentum simul, vel ex effectu, vel ex omnibus simul.

2. Primo igitur, quædam figuræ datæ sunt ad significandum id, quod in Eucharistia est sacramentum tantum, id est, species panis et vini; hujusmodi fuit oblatio Melchisedech, Gen. 14, licet Paulus ad Hebr. 7, illam pertractans hoc mysterium prætermiserit; cujus rationem in 4 tom. reddidimus, cum de sacerdotio Christi ageremus, quæst. 22. Idem significarunt panes propositionis, Exod. 40, Levit. 23, de quibus soli mundi edere poterant, 1 Reg. 21; ita Damasc., lib. 4, c. 44; Cyrill. Hierosolym., Cateches. 4 Mystag.; Hieron., ad Tit. 1. Item panis primitiarum, Exod. 23, ex Irenæo, lib. 4 contra hæreses, c. 32. Item panis subcinericius Helæ, 3 Reg. 19. Eodem sensu per figuram prædixit hoc mysterium David, Psalm. 143, dicens: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et Psalm. 22: Calix tuus inebrians, quam præclarus est? ut exponit Hieron., ep. 150 ad Edibiam, q. 2; de hoc etiam mysterio interpretatur Cyprian., ep. 63, illud Proverbior. 9: Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, miscuit vinum, et proposuit mensam suam; et infra: Venite et comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. Denique docet ibidem Cypr. panem hujus sacramenti indicatum esse in Evangelio in quinque panibus, ex quibus Christus multitudinem, quæ ipsum sequebatur, satiavit, Matth. 14. Vinum au-

tem, in vino ex aqua miraculose procreato, Joannis 2.

3. Secundo fuerunt aliæ figuræ significantes præcipue effectum, seu rem tantum hujus sacramenti, inter quas præcipua fuit manna, ut late interpretantur August., Chrysost., Cyrill. et Theophyl., Joan. 6. Idem Chrysost., hom. 23 in 1 ad Cor., qui in verbo illo: Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, intelligit significatum manna, quatenus figura erat hujus sacramenti, ut Theophyl. etiam exponit. Et eandem figuram recte tractat Ambros., lib. 5 de Sacram., c. 4, et lib. de Iis qui initiantur, c. 8 et 9; Origen., homil. 7 in Numeros; Greg. Nyssen., lib. de Vita Moysis, circa medium. Nam primo manna datum est hominibus peregrinantibus in deserto, ut possent ad terram promissam pergere. Secundo, habebat omnem saporis suavitatem, Exodi 16. Tertio, licet varii varias mensuras colligerent, eandem postea inveniebant, eodem c. 16 Exod. Quarto, fuit cibus de cælo missus, et qui optime nutrebat; quæ omnia aptissime significant effectum et excellentiam hujus sacramenti. Ac denique sicut manna expositum fuit dubitationi, Psalm. 77: Numquid poterit parare mensam in deserto? numquid panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? et contradictioni, Num. 21: Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo, ita hoc sacramentum a principio, dubitationibus et contradictionibus fuit expositum, Joan. 6: Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum? Deinde hujus sacramenti figura dicitur fuisse, etiam ratione effectus, lignum vitæ, quod erat in paradiso ad conservandam vitam. Sic etiam interpretantur Sancti effectum mellis, quo oculi Jonathæ aperti sunt, 1 Reg. 14.

4. Tertio, aliæ figuræ datæ sunt ad significandam rem contentam, id est, Christum, qui est res et sacramentum simul, et hoc modo censetur fuisse figuræ hujus sacramenti omnia sacrificia legis naturæ et veteris, ut docent Leo Papa, serm. 8 de Passione; August., lib. 1 contra Adversar. legis et Prophet., c. 48, et lib. 47 de Civit., c. 20; omnia enim illa Christum significabant, præsertim sacrificium expiationis, ut hic dicit D. Thom. Ubi oportet advertere, plura ex illis sacrificiis immediate significasse sacrificium Christi cruentum, ut indicavit Paul. ad Heb. 9; quia vero, cum hoc sacramentum conficitur, simul offertur sacrificium, quod memoriale est illius sacrificii, et in utroque idem est principale offerens, et

eadem res oblata, licet modus sit diversus, ideo dicitur in illis sacrificiis præfiguratum esse hoc sacramentum, quoad rem in illo contentam, quæ est res et sacramentum simul. Propter hanc etiam causam in veteri testamento corpus Christi per panem, et sanguis per vinum significata sunt, ut Hierem. 11 : *Mittamus lignum in panem ejus, id est, crucem in corpus ejus, ut Tertull. exposuit lib. 4 contra Marcionem, c. 40; et Lactantius, lib. 4 Institut., c. 18; Hieronym. et Origenes super Hieremiam. Idem Hieronym., dicta epist. 150, significari dicit verbis illis Jacob, Gen. 28 : Si fuerit Dominus meus mecum, et dederit mihi panem ad edendum et vestimentum ad operiendum, id est, Christum, qui est panis vitæ, Joan. 6, et indumentum fidelium qui in ipso baptizati sunt, ad Gal. 3; sic etiam dicitur Gen. 49 : Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum; ut enim inquit Cyp., ep. 63 : Quando sanguis uvæ dicitur, quid aliud, quam vinum calicis Domini et sanguis ostenditur? Denique significatus est sanguis calicis Christi in sanguine veteris testamenti, quo Moyses post legem latam aspersit populum, dicens : Hic est sanguis testamenti, quem misit ad vos Deus, Exod. 24, et ad Hebr. 9. Unde Christus, ut in se veritatem impleri ostenderet, eisdem verbis dicit, Matthæi 26 : Hic est sanguis meus novi testamenti; et Lucæ 22 : Hic calix novum testamentum est in sanguine meo.*

5. Ultimo est insignis figura agni paschalis, in quo omnia dicta representata sunt. Agnus enim significabat Christum, non solum ut hostiam, sed etiam ut cibum, quia agnus ille non tantum immolari, sed etiam comedi præcipiebatur; sanguis vero ejus effectum redemptionis Christi, per quem a devastante Angelo protecti, et a servitute Ægyptiaca erepti sumus; panis azymus materiam hujus sacramenti; una domus Ecclesiam, quæ hoc sacramento perficitur, et in se et cum Christo magis ac magis unitur, et ideo in illa sola hæc hostia offerenda est, et distribuendus hic cibus, ne sanctum canibus tribuatur, ut eleganter dixit Cyprian., lib. de Unitate Ecclesiæ; August., serm. 150 et 181 de Tempore, c. 12, et lib. 2 contra litteras Petiliani, c. 37; et Gregor., lib. 35 Moral., c. 7, alias 5, qui eandem figuram optime explicat hom. 22 in Evangelia; Tertull., lib. 4 contra Marcionem, c. 40; Leo Papa, serm. 7 de Passione; Hieron., Matth. 26; Hesychius, in 23 caput Levit.; D. Thom., 4. 2, quæst. 102, art. 5, ad 2.

## QUÆSTIO LXXIV.

DE MATERIA EUCHARISTIÆ, QUANTUM AD SPECIEM, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

*Deinde considerandum est de materia hujus sacramenti. Et primo, de specie materiæ; secundo, de conversione panis et vini in corpus Christi; tertio, de modo existendi corporis Christi in hoc sacramento; quarto, de accidentibus panis et vini, quæ in hoc sacramento remanent.*

Circa primum quærentur octo.

1. *Utrum panis et vinum sint materia hujus sacramenti.*
2. *Utrum ad materiam hujus sacramenti requiratur determinata quantitas.*
3. *Utrum materia hujus sacramenti sit panis triticeus.*
4. *Utrum sit panis azymus vel fermentatus.*
5. *Utrum materia hujus sacramenti sit vinum de vite.*
6. *Utrum sit admiscenda aqua.*
7. *Utrum aqua sit de necessitate hujus sacramenti.*
8. *De quantitate aquæ, quæ apponitur.*

Post explicatam quæstionem, an sit hoc sacramentum, incipit inquirere D. Thom. quid sit, et essentiam ejus explanare, agens prius de materia, postea vero de forma hujus sacramenti. Prius vero, quam ad has partes specialiter descendamus, expediens visum est, disputationem præmittere, in qua generaliter inquiremus, in quo hujus sacramenti ratio, et essentia consistat; ita enim facilius erit postea disputatio de singulis partibus sacramenti.

## DISPUTATIO XLII.

DE ESSENTIA, ET PARTIBUS HUIUS SACRAMENTI IN COMMUNI.

Supponimus ad hoc sacramentum conficiendum multa concurrere; scilicet, aliquam verborum formam, materiam panis et vini, quæ, dum conficitur sacramentum, partim transit, scilicet, quoad substantiam panis et vini, et ut sic, materia remota dicitur, partim permanet, scilicet, quoad accidentia, et ut sic, materia proxima appellatur. Præterea, corpus et sanguinem Christi, quæ sub specie-

bus consecratis continentur; ac denique post hæc reperitur usus hujus sacramenti; quæ omnia in sequentibus probanda sunt. Hic solum explicandum est, quomodo hæc component hoc sacramentum, seu quid illorum ad essentiam ejus componendam intrinsece pertineat. Nam de omnibus dictis est dubium, præterquam de materia remota; de qua, cum non maneat, non est inter Catholicos controversia. Supponendæ sunt etiam hoc loco differentie hujus sacramenti a reliquis, quas supra disp. 39, sect. 2, late tradidimus.

## SECTIO I.

An species consecrata sint sacramentum Eucharistiæ, vel de intrinseca ratione ejus.

1. *Prima opinio.* — Duobus modis videtur esse ab aliquibus negatum, species consecratas intrinsece constituere, et esse de essentia sacramenti Eucharistiæ. Primus fuit Waldensis, tom. 2 de Sacramentis, cap. 21, ubi dicit, in aliis sacramentis solum visibile signum, invisibilem gratiam significans, esse ipsum sacramentum; hic vero sacramentum esse invisibilem gratiam, per visibile signum proxime significatam, id est, Christum Dominum, quem verba significant, et sub speciebus constituunt, species autem et continent, et significant. Unde concludit, species nec ad essentialem constitutionem hujus sacramenti pertinere, nec esse sacramentum, nisi per quandam analogiam, quia sunt signum sacramenti, sicut color dicitur sanus, quia est signum sanitatis. Fundatur hic auctor solum in quibusdam Sanctorum testimoniis, qui hoc sacramentum corpus et sanguinem Christi appellant, quos partim citavimus quæst. præced., art. 4, partim allegabimus infra, sect. 3, ubi verum illorum sensum expendimus. Et confirmari potest hæc opinio, quia species sicut non significant, ita nec efficiunt gratiam sanctificantem, sed solum significant Christum, quem continent. Christus vero ipse est, qui gratiam confert, juxta illud Joan. 6 : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Cum enim humanitas sit instrumentum conjunctum, et præsens, ac proxime adsit, non indiget alio instrumento; species ergo nihil efficiunt; ergo non sunt sacramentum, nec pars sacramenti.

2. *Secunda opinio.* — Secundus modus, seu secunda opinio est, species non esse partem sacramenti hujus, quia solum forma verborum est totum sacramentum. Hæc sententia

tribui solet Cajet. qui supra, quæst. 63, art. 6, ita loquitur. Circa Eucharistiæ sacramentum duo possunt considerari, scilicet ipsum sacramentum, quod nihil aliud est, quam actio sacramentalis consistens in consecratione materiæ. Cum ergo consecratio verbis fiat, significat, sola verba esse Eucharistiæ sacramentum. Quæ sententia tribuitur etiam Marsil. in 4, quæst. 1, art. 1, et quæst. 6, art. 2; et videtur illi favere D. Thom. in 4, d. 8, q. 1, art. 1, quæstiunc. 1, cum dicit, in sacramento Eucharistiæ sanctificationem materiæ esse ipsum sacramentum. Et suaderi potest hæc opinio, quia in hoc sacramento sola verba sunt sensibile signum, efficax summæ gratiæ, id est, Christi, quem significant, et quodammodo efficiunt; species autem, ut dictum est, nihil efficiunt. Et confirmatur, quia negari non potest, quin verba habeant significationem sacramentalem; ergo vel sunt sacramentum, vel pars sacramenti; non sunt autem pars, quia non habent partem, cum qua unum totum constituent, quia successivum cum permanente non potest conjungi ad unum totum constituendum; ergo sunt integrum sacramentum; et non aliud, quam Eucharistia : ergo.

3. *Prima conclusio.* — Dicendum vero primo est, solum Christi Domini corpus ac sanguinem non esse integrum Eucharistiæ sacramentum. Hæc est communis sententia Doctorum, quos statim referam, et colligitur ex Innocent. III, et ex Concil. Trident., et ex aliis multis Patribus et decretis, quæ statim ad probandam tertiam conclusionem afferam. Ratio vero clara est, quia de ratione sacramenti est, ut sit per se signum sensibile; Christus autem, ut in hoc sacramento, non est modo sensibilis; ergo per se sumptus non potest esse totum sacramentum; necesse est enim, ut in intrinseca essentia sacramenti aliquid signum, quod sensibus objici possit, includatur. Unde, si res aliqua per se insensibilis interdum est pars sacramenti, necesse est, ut cum alia per se sensibili conjungatur, et aliquo modo, saltem per accidens, sentiat, ut in contritione et confessione videre licet. Sic igitur, corpus Christi, prout est in hoc sacramento, non potest per se constituere sacramentum, cum seclusis speciebus nullum signum per se sensibile maneat, quod ad constituendum sacramentum sufficiens sit. Unde aperte repugnat, species habere rationem sacramenti per analogiam ad Christi corpus, cum potius ipsum corpus per ipsas